



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rosa In Hieme

Mertz, Martin

Antverpiæ, 1627

Capvt IX. VWilhelmi sepultura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42750

CAPVT IX.

VVILHELMI *sepultura.*

CORPVS defuncti ex laudabili recepto more feretro, quod nigro panno alba Cruce intersecto contectum fuit, impositum, & ex infirmorum domo, Cruce & post eam Patrum Fratrumque supplicatione praecedente, ac lugubre carmen concinente, in maius templum est delatum, ad pedes & caput cereis collocatis. Inde Horaria mortuorum Preces pro eo decantatae: postera verò die recitatis reliquis consuetis demortuorum Orationibus, & SS. Missae Sacrificio cantato, solemani nostri Ordinis ritu in ambitu principe loco inter reliquos tumulatum fuit. Ad eius sepulchrum parietibus à quibusdam VVILHELMI studiosis Fratribus non tam inscripta quam insculpta quaedam huc apponere volui: quorum est illud ex Sacris literis petitum, & verè in VVILHELMO completum: *Raptus est ne malitia immutaret intellectum, & fictio deciperet animam illius.* Illud itidem indidem desumptum: *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Vltimum hoc est:

VVILHELMVM *quisquis non deslet morte peremptum,*

Neptuno hic genitus, durior est chalybe.